

10. *Ingressus religionis etiam licet ante usum rationis, dummodo parentes positive consentiant in filii ingressu.* — Superest dicendum de tertia ætate infantiae ante usum rationis, in qua non habet locum bonitas vel malitia ex parte ipsius pueri, si religioso habitu induatur. Solum ergo esse potest ex parte recipientium, vel ex parte offerentium puerum ad religionem; et in his etiam certa est assertio posita, scilicet, religioni, seu praelatis ejus illicitum non esse hos pueros ad religionem habitum admittere, si a parentibus offerantur; hæc enim conditio necessaria est ut licite possit fieri receptio ex parte religionis, ut omnia jura supponunt, cap. 1, 20, q. 2, et ibidem, cap. 4: *Oportet (dicitur) infantem cum voluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos sub plurimorum testimonium suscipi.* Quæ verba licet ibi citentur ex quadam Synodo, sunt Basili, in Reg. fus. disp., cap. 15, et ideo non habent vim legis positivæ, nec verbum illud *oportet*, necessitatem in rigore significat; tamen, juxta subjectam materiam, revera significat necessitatem ut actus recte fiat. Ratio est, quia infans parentis voluntate regitur, et hoc est intrinsicum et naturale jus parentis; ergo injuria illi fit, si absque suo consensu a religione recipiatur, vel potius surripiatur. Confirmatur, nam hujusmodi filius infidelis non potest juste baptizari sine consensu parentis; ergo nec filius fidelis potest subtrahi a cura parentum, ut in religione recipiatur, sine ipsorum consensu.

11. Dices: videtur sufficere ut parens non contradicat, nam etiam filius impubes habens usum rationis est sub cura parentis, ita ut contra ejus voluntatem non possit de se disponere, et nihilominus recipi potest in religione sine licentia parentis, dummodo non contradixerit; ergo idem dici poterit de eodem filio, etiam ante usum rationis. Respondet negando consequentiam, quia nullus potest recipi in religione sine consensu ejus, vel alterius, qui tanquam ejus reputetur; ille autem, qui jam pervenit ad usum rationis, potest jam præstare suum consensum, et licite illum præstat sine licentia parentis cum præparatione ad obediendum illi, si contradixerit, et ideo licite etiam recipi potest, quia tunc nec ipsi filio, nec parenti fit injuria. Ante usum vero rationis non habet filius propriam voluntatem qua consentiat, sed solius parentis; et ideo tam illi fieret injuria, si absque ullo consensu reciperetur, quam parenti, quia

privaretur re omnino sua, et a sola sua voluntate dependendo, suo non requisito consensu. Adde semper præsumi dominium rationabiliter involuntarium, quando privatur re sua sine suo consensu, et absque superioris potestate, et ideo respectu infantis semper parentem præsumi positive involuntarium, non vero respectu filii, qui jam potest suo arbitrio uti, cum ille jam possit per se consentire.

12. *Parentes licite possunt offerre religioni filios educandos, ut postea perseverent.* — Quod autem hoc liceat, supposito parentis consensu, ex juribus statim citandis certissimum est. Nam, si patri licet offerre religioni filium infantem, antequam ratione uti valeat, cur non licebit religioni illum acceptare? Neque enim parenti facit injuriam, cum ipse consentiat, nec filio, cum voluntatem non habeat per quam repugnare possit, et alioquin beneficium tale sit, ut ad maximum ejus bonum ordinetur. Et ob easdem causas non fit injuria religioni, cum et ipsa consentiat, et ad illius augmentum, et ad majus Dei obsequium totum id ordinetur. Solum superest ut probemus, parentibus licitum esse filios suos religioni offerre educandos, ita ut, quantum in ipsis est, in ea perpetuo perseverent. Hoc autem manifeste supponitur in decretis citatis, 20, quæst. 2, per totam, et ideo sumitur ex 20, q. 1, præsertim cap. 2, 3 et 4, et in cap. *Quamprimum*, et cap. *Illud*; item ex cap. 2 de Regul., ubi cum Innocentio id docet Panorm., n. 6. Ratio autem est, quia parens habet jus et dominium in filium suum; ergo potest de illo disponere in omnem usum, qui injustitiam, vel aliam turpitudinem non contineat; ergo multo magis in eum usum qui ad majorem Dei cultum, et ad majus ipsius filii bonum ordinatur; hujusmodi autem est hæc oblatio per se, et ex vi objecti, quidquid sit de intentione offerentis, et aliis, quæ sunt per accidens. Denique hæc oblatio per se et natura sua mala non est, ut ostendit ratio facta; neque est prohibita jure divino positivo, quia nullibi de jure constare potest; nec ecclesiastico, nam hoc potius expresse approbat talem actum, ut citatum est.

13. *Hæc oblatio operatur tria.* — Interrogabit autem aliquis, quidnam operetur hæc oblatio a parentibus facta filii alicui religioni. Quidam enim existimarunt per illam ita tradi religioni, ut non solum a patre revocari non possit, verum etiam nec ab ipso filio ad annos etiam pubertatis perveniente; cui sententiæ nonnulla antiqua decreta favere videntur.

CAPUT II.

QUANTA SIT POTESTAS PARENTUM AD EFFECTUM OFFERENDI SEU TRADENDI RELIGIONI FILIUM JAM RATIONIS USUM HABENTEM.

1. *Filius post annos pubertatis non potest cogi a parentibus ad ingressum religionis sine propria voluntate.* — Hæc quæstio non habet difficultatem, si filius ipse consentiat in sui oblatione, quia tunc non tantum offertur a patre, sed etiam ipse se offert; unde non est cur hæc oblatio non sit licita. Dubium ergo est an hoc liceat non expectata, vel etiam repugnante ejusdem filii voluntate. In quo distinguendum est de filio ante vel post annos pubertatis, nam ante expletam pubertatem potest, postea non potest. De hac posteriori parte nulla dubitatio est, nam filius postquam pervenit ad pubertatis annos, est omnino sui juris, in his quæ pertinent ad salutem animæ suæ; et ideo sine sua voluntate cogi non potest ad religionis habitum assumendum. Atque hoc plane supponit Concilium Tridentinum, d. cap. 17, sess. 25, quando statuit ut feminae post duodecimum annum in monasteriis non recipiantur, donec prius ab Episcopo examinentur, an voluntarie id faciant, ut supra vidimus. Censet ergo necessariam esse illarum voluntatem, et consequenter non posse licite cogi etiam a parentibus ad talem ingressum.

2. *Aliqui negant posse licite parentes offerre filium religioni ante annos pubertatis, non expectata, vel etiam repugnante filii voluntate.* — De altera vero parte est major difficultas. Nam Panorm., in d. cap. 2, de Regul., num. 9, negat esse licitum. Probat primo, quia sacrificium involuntarium Deo non est placitum, hilarem enim datorem diligit Deus. Unde Ambrosius, lib. 1 de Jacob. et vit. beat., cap. tertio: *Voluntarium sibi militem legit Christus*, et refertur cap. *Non est*, 15, quæst. prima. Secundo, quia filius impubes sic invitus oblatos a patre potest licite exire, cum primum potuerit et voluerit; ergo non potest licite cogi ad illum ingressum, quia non potest dari bellum justum ex utraque parte. Prima vero consequentia clara est, quia si filius non tenetur permanere, neque ingredi tenetur; ergo habet jus resistendi, ne ingredi cogatur. Antecedens autem probatur ex Innocentio, in d. cap. 2, et gloss. 20, quæst. 1, in principio, hoc expresse dicentibus; et in

Nobis tamen falsa videtur et incredibilis, quia naturali rationi et divino juri multum repugnat; quia vero attingit materiam de professione religiosa, in proprio libro illam tractabimus. Communis ergo responsio est, oblationem hanc tria operari. Unum est, ut talis filius familias licite possit a religione recipi ac retineri, et hoc est quod ad præsentem quæstionem præcipue spectat, quodque ex dictis sufficienter probatur. Secundum est, ut pater non possit amplius uti patria potestate ad revocandum filium, quia jam cessit juri suo, et quantum in se est, donationem filii religioni fecit, quam ipsa acceptavit. Tertium est, ut neque ipse filius sua voluntate egredi possit ante annos pubertatis, quia in illa ætate non tam sua, quam patris voluntate regendus est: pater autem voluntatem suam in religionem transtulit, et ideo sine religionis consensu exire non potest intra illam ætatem, quamvis ab ipsa religione possit expelli, etiam ante pubertatem, si ita sibi expedire censuerit, quia pro nullo tempore se obligavit ad retinendum illum, quod notandum est. Atque hæc sumuntur ex citatis decretis, 20, q. 2, et cap. 2 de Regular.; et Innocent., Panorm., et aliis interpretibus ibi, qui ex eisdem juribus declarant, non solum expressam, sed etiam tacitam oblationem ad hoc sufficere, juxta superius dicta de impuberibus ratione utentibus. Existimo tamen tacitum parentis consensum per dissimulationem unius anni tunc non habere vim oblationis, quantum ad illum effectum, quando ipse expresse protestatur se nolle donare, aut cedere juri suo, sed tantum permittere ut pro tunc ibi filius permaneat, nam tunc contra voluntatem expresse declaratam non videtur habere locum præsumptio.

14. Alia vero hic superest difficultas, an hæc oblatio licita sit et valida, si eo animo fiat, ut sit perpetua donatio irrevocabilis, etiam per voluntatem filii, cum ad adultam ætatem pervenit. Sed quia hoc spectat ad materiam de professione, ideo melius tradetur in libro sequenti; nunc enim solum agimus de ingressu seu receptione ad religionem, ex quibus perpetuum vinculum non nascitur, donec debito tempore et modo voluntaria professio fiat.

sinuatur in cap. *Præsens*, 20, q. 3, et per argumentum a contrario sensu, cap. *Puella*, 20, q. 1. Tertio, quia parentes non possunt cogere filium impuberem ratione utentem ad contrahendum sponsalia de futuro, cap. 1 de Respons. impub., in 6; ergo neque ad ingressum religionis. Patet consequentia, quia ita comparatur ingressus religionis ad professionem, sicut sponsalia ad matrimonium. Hanc etiam partem tuetur Sanc., lib. 4, Decal., c. 18, n. 26.

3. *Resolutio vera: parentes licite offerre possunt religioni filium ratione utentem ante annos pubertatis sine illius consensu, imo repugnante voluntate.* — Nihilominus responsio data mihi vera videtur, eamque sententiam tenet Palud., in 4, d. 38, q. 4, n. 98; et D. Ant. secunda parte, tit. undecimo, cap. secundo, § 8, notab. 4. Et rationes prædictæ non probant actum illum esse per se malum, neque esse jure humano prohibitum. Nec existimo excogitari posse rationes alias, aut afferri jura quibus id probetur; non est ergo cur ille actus absolute damnetur. Assumptum declaro discurrendo per singulas rationes. Nam prima suadet fortasse id regulariter non expedire, quia morale est ut ea quæ involuntarie inchoantur, fructuosa non sint, et desideratum exitum non habeant; non probat tamen illum actum esse malum, aut displicere Deo, quantum est ex parte parentis, qui voluntarie illum facit, neque ex parte filii, quia licet, ut est involuntarius ingressus, non placeat Deo, ut est obedientia paterna, placebit. Et quamvis, ut dixi, ex tali ingressu non magnus fructus regulariter sperari possit, non est etiam cur timeatur magnum detrimentum, quia ille ingressus non est perpetuus, sed postea legitimo tempore per voluntatem filii deseri potest; quod licet ita contingat, non erit majus nocumentum filii, quam si perpetuo in seculo mansisset; ergo, per se loquendo, ille ingressus non cedit in detrimentum filii, sed potius duplex fructus ex illo spectari potest. Unus est, quod, licet in principio involuntarie ingrediatur religionem, postea bono exemplo et conversatione poterit facilius mutare voluntatem, et sponte manere. Alius est, quia licet postea ad seculum revertatur, secum fortasse deferat aliqua semina virtutum, quibus instructus melius in seculo vivat, quam si in religione nutritus non fuisset. Qui discursus probat hunc actum non solum per se illicitum non esse, verum etiam nec semper non expedire, præsertim si non

sit nimia violentia, sed considerandas esse circumstantias personarum, ut inde conjectari possit spes fructus.

4. Secunda vero ratio atque etiam tertia probant optime, non posse hujusmodi filium ita cogi ad hunc ingressum, ut inde maneat obligatus ad profitendum, vel perpetuo manendum in religione, quia ad hoc nullus adultus potest sine sua voluntate obligari (nisi fortasse in pœnam, de quo alias). Non probant autem illæ rationes iniquum esse offerre hujusmodi filium religioni, ut ibi vivat, donec perfectius habens judicium, eligere possit an velit in eo statu permanere, neque. Cum ergo in secunda ratione assumitur hujusmodi filium posse egredi monasterio cum voluerit, si sensus sit, cum legitime voluerit, id est, cum pervenerit ad pubertatis annos, et sui juris quoad hoc negotium esse cœperit, sic verum est quod assumitur; et hoc probant bene jura ibi citata, et ratio insinuata, quia, sicut in ea ætate non potest cogi ut intret, ita neque ut permaneat, cum nulla obligatio ex priori ingressu illi accreverit. Hoc autem nihil obstat quominus pro ætate impubere cogi possit ut ibi permaneat. Unde si sensus antecedentis sit, etiam intra illam ætatem impuberem posse egredi cum primum voluerit, negatur assumptum; et glossa revera loquitur in priori sensu, nam ex cap. *Præsens*, quod citat, aliud colligi non potest; nam ibi solum narratur factum de quodam parente nobili, qui filium coegerat ad suscipiendum habitum religionis, cujus factum ibi non reprehenditur; filius autem (quantum ex ipsa ratione colligitur) non reclamavit intra annos pueritiæ et impubertatis; nam inter octavum et decimum annum (ut ibi dicitur), id est, *nono*, ut notat glossa, *cucullam involuntarius induit, et post quoddam ipsius temporis spatium monachalem habitum invitum etiam induit*; postea vero pro sua libertate litem movit; ergo non est verisimile voluisse relinquere habitum intra annos pubertatis. Eo vel maxime quod, ut patet ex dicta narratione, ille non solum ad ingressum, sed etiam ad professionem coactus est; quod fuit iniquum, et quantum ad hoc posterius, etiam citra voluntatem parentis; et de hoc præcipue puncto ibi tractatur, et ad hoc directe respondit Pontifex, illum non fuisse cogendum ut monachus fieret, neque regulari observantiæ perpetuo subjiciendum, aut ea occasione hæreditate paterna privandum, quod fratres præcipue intendebant. De totali

autem ingressu nihil ibi expresse dicitur, sed potius addit Pontifex hæc verba notanda: *Usque dum divina inspiratione compunctus, propria voluntate regulæ se subdat, liceat eum, a mundanis et laicalibus remotum vagationibus vel negotiis, inter religiosos et ecclesiasticos viros canonicam degere vitam*; quæ verba potius favent nostræ sententiæ.

5. Cap. autem *Puella* nihil ad rem facit, nam loquitur de puella, quæ sine coactione parentum voto se Deo consecravit, de qua dicitur non posse sine culpa retrocedere. Ex quo etiam a contrario sensu ad summum colligitur per voluntatem parentum non potuisse obligari, ita ut ei retrocedere non liceret. Per quod etiam responsum est ad rationem tertiam; negamus enim in hoc servari proportionem inter sponsalia de futuro, et ingressum religionis; nam per sponsalia obligatur quis ad matrimonium, nemo autem potest obligari, nisi promittat, nec promittere contra suam voluntatem absolutam et efficacem, de qua agimus. Per ingressum autem religionis non obligatur quis ad profitendum, et ideo non est similis ratio. Est etiam alia dissimilitudo; nam matrimonium non est ex optimis bonis; nam licet honestum sit, impedit majorem perfectionem, et ideo non solum ad promissionem ejus non potest filius invitum cogi, verum etiam neque ad eam vitæ conversationem, vel familiaritatem, quæ paulatim illam voluntatem inducat; quod secus est de statu religionis, ut constat.

6. *Probatur nostra sententia.* — Atque hinc tandem potest directe probari nostra sententia, quia pater cogendo filium impuberem ad hunc ingressum utitur jure suo, et usus ille de se cedit in majus bonum filii, et non privat illum jure suæ libertatis, pro ea ætate in qua ad illum solum spectabit; ergo talis actus nec continet injustitiam respectu filii, nec malitiam contra religionem aut aliam virtutem; ergo non est per se malus; ergo cum non inveniatur prohibitus, licitus est. Major (cætera enim clara sunt) probatur, quia pro illa ætate nondum puer est plene sui juris, sed habet voluntatem suam dependentem a voluntate parentis, etiam in his quæ spectant ad instituendam vitam in ordine ad bonum animæ, et ideo potest parens vota ejus irritare, et quemlibet vivendi modum a filio sumptum impedire; ergo eadem ratione habet jus designandi illi modum vivendi pro illa ætate. Potestque hoc confirmari ex paulo ante dictis, nam filius oblatum ante usum rationis

potest etiam invitum retineri in religione post usum rationis, usque ad ætatem puberem; ergo etiam jam utens ratione, quamvis impubes sit, potest offerri a patre, licet ipse repugnet. Patet consequentia, quia non est major ratio de perseverantia post oblationem factam, quam de oblatione; nam si filius non posset donari invitum quando ratione utitur, non posset etiam donari ante usum rationis, sub ea lege ut etiam invitum perseveret usque ad ætatem puberem; sicut quia post pubertatem non potest donari sine ipsius voluntate, ita neque antea potest donari sub ea lege, ut etiam post pubertatem necessario perseveret. Tandem potest confirmari ex Concilio Tridentino, capit. 17, a contrario sensu; nam propterea solum statuit ut post duodecimum ætatis annum voluntas virginum examinetur ab Episcopo, quia ante illum terminum ætatis parentes habent jus introducendi filiam in monasterium, non expectato ejus consensu.

7. *Confirmatur solvendo difficultatis instantiam.* — Sed adhuc superest difficultas, quia videtur nimium tantam potestatem tribuere parentibus in filios, ut possint eos vel vi cogere, vel præcepto obligare ad agendam vitam religiosam, et sequenda opera perfectionis toto tempore pueritiæ usque ad pubertatem pro captu illius ætatis; quia ea, quæ sunt propria consiliorum opera, nemini possunt sub præcepto imponi; ergo multo minus poterunt his parvulis præcipi, qui imbecilliores sunt; ergo non possunt parentes præcepto ligare hos filios ad hunc ingressum; ergo nec per vim poterunt cogere, tum quia nemo potest juste cogi ad id faciendum quod non tenetur; tum etiam quia alias filius juste posset vel fugere, vel se defendere, ut valeret; atque ita daretur bellum justum ex utraque parte. Respondeo imprimis, si conditio illius ætatis attente spectetur, non esse arduam hanc obligationem, nam illa opera, quæ respectu majorum sunt supererogationis, respectu illius ætatis habent quamdam veluti naturalem necessitatem. Nam imprimis observare castitatem non est illis voluntarium, sed necessarium, cum non possint tunc matrimonium contrahere, imo nec firmiter se ad illud obligare sine voluntate parentum, attempto jure canonico, toto titulo De Spons. impub. Quid ergo mirum quod possit pater omnibus modis custodire filium pro ea ætate, ut castitatem servaret, vel quod ad hoc uti possit medio religiosæ habitationis propter majorem securitatem? Deinde paupertas, saltem

quoad usum seu jus utendi et disponendi proprio arbitrio, quasi naturalis est illi ætati, quæ paupertas, vel necessitas ejus, non crescit ex religiosa habitatione. Idem fere est de subjectione et obedientia, quæ naturalis etiam est illi ætati, et potestas jubendi est in parente, quam ipse potest quasi delegare prælato religionis, quem supponimus prudenter uti debere tali potestate. Neque enim potest hujusmodi puerum cogere ad totius regulæ observationem, sed pro captu ætatis eum in virtute educare et exercere. Ergo, considerata conditione talis ætatis, non est nimis arduum opus, quod a parente injungitur per hujusmodi ingressum. Nam susceptio habitus, quæ videtur minus necessaria ad convenientem filii educationem, magisque aliena ab ordinario vivendi modo fidelium, illa (inquam) per se non est res adeo difficilis, ut propter aliquem altioiorem finem non possit a parente injungi, maxime si hic et nunc existimetur necessarium ad convenientem filii educationem; id enim in multis particularibus casibus accidere potest. Deinde non videtur necessarium, ut pater possit proprie et in rigore præcipere filium impuberem omnia illa, ad quæ facienda potest illum cogere modo proportionato illi potestati et ætati, scilicet per paternam correctionem et disciplinam. Fortasse enim non potest parens filium in conscientia obligare ut quotidie Missam audiat, et nihilominus potest illum compellere, et licite castigare, nisi faciat; de hoc ergo genere coactionis in præsentem loquimur, et illa est sufficiens, etiamsi non intercedat proprium et rigorosum præceptum.

8. *Limitatio traditæ conclusionis.* — *Impubes sic coactus licite potest etiam ante pubertatem dimittere habitum.* — Quapropter, ne videamur contradicere communitententiæ, concedere possumus hujusmodi impuberem sine peccato posse dimittere religionis habitum eum voluerit et potuerit, etiam ante pubertatem; id enim, præter citatos auctores, docent frequenter Summistæ, ut patet ex Sylvest., verb. *Religio*, 2, n. 10, et aliis. Nihilominus parens etiam tuta conscientia potest per ordinata media impedire, ut filius intra illam ætatem possit habitum dimittere, et illum paterne corripere et castigare, si id faciat. Neque illud est bellum ex utraque parte; nam filio non conceditur licentia resistendi parenti per vim, sed solum subterfugiendo, et se excusando ab obligatione; sicut iudex licite punit fugientem e carcere, neque ille li-

cite potest punitioni resistere, quamvis fugere licite potuerit. Denique advertimus non licere parentibus abuti hac potestate, vel nimiam coactionem adhibere, vel ultra annos pubertatis illam extendere; imo nec expedire facile illa uti, sed ubi aliqua gravis causa coegerit, vel quando resistentia filii nimia non est, et fructus aliquis de illo ingressu probabiliter speratur, quia licet tunc minus gratus sit filio, creditur pro ætatis vel conditionis facilitate fore postea mutandum, et ad voluntatem parentis accommodandum.

9. *Dubium in hac materia, in quo parente sit hæc potestas.* — Interrogabit autem aliquis de quo parente hæc intelligenda sint. Respondet, si filius altero parente orbatum sit, in altero manere potestatem hanc, quia ille retinet naturale jus et dominium in filium. An vero a tutore impediri possit, statim dicam. Secundo, si impubes habeat utrumque parentem, et ambo consentiant, res est extra difficultatem. Tertio, si in eo casu parentes inter se dissentiant, et pater sit qui vult filium offerre, posse id facere, eritque valida et licita ejus oblatio, quia pater est caput, et ad illum principaliter pertinet regimen domus et filiorum; unde etiam jura dicunt patrem habere filium in potestate, et non matrem, cap. 4 de Convers. fidel., et Instit. de adoption., § *Femina*. Atque ita sensit Glos., in capit. 1, 20, q. 2, verb. *Aut unus*, quamvis non sine dubitatione, ubi Archid. idem sequitur. Sylvest., verb. *Votum*, 5, q. ult., licet verb. *Religio*, 2, q. 13, confuse loquatur, et nihil satis definiat, et hic etiam adhibet limitationem, nisi filius nondum sit ablactatus, quia tunc magis est sub cura matris; quod idem a fortiori dicit, si filius adhuc sit in utero matris, significans, si pater tunc voveat offerre filium religioni, non obligari postea tali voto, si mater repugnet. Sed hæc limitatio nullo jure fundatur, nec sufficienti ratione, et ideo non videtur necessaria, nec Paludanus, quem citat, illam adhibet, ut videre licet in 4, distinct. 38, quæst. 4, num. 26, ubi absolute tenet hanc sententiam.

10. *Probatur licite et valide posse patrem offerre filium religioni, matre repugnante.* — Contrarium vero sensit Innoc., in c. 2 de Regularibus, cujus sententiam communiter esse probatam a Doctoribus dicit ibi Panorm., n. 6, quam ipse etiam dicit sibi placere in favorem religionis. Sed ego in hoc non video favorem religionis, sed potius matris, et naturalis potestatis quam habet in filium. Unde

fundamentum Innocentii est, quia in his spiritalibus magis est spectanda patria potestas, ut naturalis, quam ut civilis; naturaliter autem filius obligatus est obedire matri; unde Deus sine distinctione præcepit patrem et matrem honorari. Item, quia in re communi potior est conditio prohibentis, juxta regulam *In re communi*, de Regul. jur., in 6. Sed filius est res communis patris et matris; ergo si mater contradicat, ejus voluntas præferenda est; ergo si contra illam fiat, nec valide, nec licite fiet. Denique, quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet, l. ult., C. de Auctor. præst. Nihilominus et in favorem religionis, et ex natura rei, censeo oppositum esse verum; quia non solum humano jure, sed naturali, vir est caput mulieris; ergo ex eodem jure debet esse inter eorum voluntates debita subordinatio; ergo quando inter se repugnant in re licita et honesta, voluntas viri vincere debet. Et confirmatur, nam in aliis actionibus vel studiis pertinentibus ad educationem filii, potest pater, matre repugnante, de filio disponere, et ad hanc vel illam artem addiscendam illum applicare, vel in hunc aut illum locum, etiam distantissimum, et per multos annos mittere; imo, solo jure gentium spectato, et seclusa civili et ecclesiastica prohibitione, posset in aliquo casu illum vendere, invita matre; cur ergo non poterit religioni offerre? Et ita responsum est principali fundamento Innocentii; illa vero regula juris, præterquam quod fallit in favorem religionis, ut ibi glossa advertit, intelligenda videtur, quando res ita est communis, ut jus utriusque partis æquale sit, non vero si unum sit alteri subordinatum, ut in præsentem contingit.

11. *Non licet talis oblatio, si velit mater patre repugnante.* — Quarto, fieri potest ut mater velit offerre filium et pater repugnet, et tunc sine dubio habet locum opinio Innocentii et Panormitani, quia rationes eorum procedunt, et cessat ratio in contrarium, quia cum vir sit caput, ejusque potestas sit major, præferenda est. Dices, cum in eo voluntas matris honestior sit, in favorem religionis præferenda videtur. Respondetur, honestius esse ut quæ in Dei honorem fiunt, ordinate fiant; unde non pertinet ad favorem religionis inversio ordinis et justitiæ. Eo vel maxime quod, licet religio ex objecto sit melior in individuo, non est facile discernere an expediat infantem impuberem illi statui ascribere; unde quia hoc spectat ad prudentiale judi-

cium, ex hoc capite judicium viri præferendum est. Unde etiam patet responsio, si alia oblatio fiat, quia, cum filius infidelis baptizari non possit invitis parentibus, nihilominus potest baptizari consentiente matre, et patre repugnante. Quidquid enim sit de exemplo, quod et incertum est, et multas requirit limitationes, de quibus alias, negatur similitudo; quia Baptismus est res magis ad salutem necessaria; unde extra omnem dubitationem et decet et expedit filio, et pater sua abutitur potestate, dum Baptismo ejus repugnat; ideo mirum non est quod in hoc negotio major sit favor Baptismi, quam ingressus religionis.

12. *Oblatio solvitur.* — Tandem vero obijci potest cap. 1, 20, q. 2, ubi sic dicitur: *Si in qualibet minori ætate, vel religioni debitam vestem, vel religionis tonsuram, in utroque sexu filius, aut unus, aut ambo parentes dederint, etc.* Ubi definite unius tantum parentis, quicumque ille sit, factum et voluntas requiritur; ergo mater sufficit, etiamsi pater repugnet. Respondetur primo ex glossa, partitionem illam intelligi accommode, scilicet, unius, si unus tantum sit, vel utriusque, si ambo extiterint. Juxta quam expositionem posset favere is textus quoad hanc secundam partem opinioni Innocentii in superiori puncto tractatæ. Verumtamen etiam in hoc sensu ibi non dicitur amborum parentum consensum requiri, sed dicitur id quod certum est, scilicet, sufficere. Reliquum vero colligendum relinquatur aut ex communi jure, aut ex naturalibus principiis. Secundo vero dicitur, cum sufficere dicitur consensus unius, non excludi conditionem veluti ex natura rei ibi inclusam, scilicet unius, cujus consensus efficax esse possit, vel unius, seclusis impedimentis. Et priori modo sufficit consensus parentis, ut dictum est; posteriori autem sufficit consensus matris, si pater non repugnet, etiamsi positive non cooperetur; quamvis enim de hoc ultimo nonnulli dubitent, tamen sine causa, ut etiam Innocentius et Abbas supra referunt quia etiam mater habet patriam potestatem, et jus præcipiendi filio, cui ipse obedire tenetur, dum pater non repugnat. Verum est tamen oblationem factam a sola matre non esse ita firmam, quin possit revocari a patre, quamdiu non consenserit, quia non se privavit jure suo; nec satis est quod permittat tacendo, nisi transactus sit annus a jure præscriptus, ut tacitum consensum præbuisse juridice præsumatur, nam tunc etiam revocare non poterit.

13. *An hæc potestas sit etiam in tutore.* — Tutor potest licite et valide offerre puberem religioni. — Ulterius vero dubitari solet, an idem dicendum sit de tutore, quod, scilicet, possit pupillum religioni offerre. Quidam negant, ut Freder. Senen., cons. 277, quia nulli in jure canonico legitur ei concessa potestas; quamvis enim in cap. 2, 20, q. 2, detur facultas tutori revocandi pupillum impuberem a religione, non tamen ut possit illum donare aut offerre, quia plus requiritur ad agendum, quam ad impediendum. Sed oppositum sine dubio verum est, quod tenent Innocentius et Abbas, loco citato, et colligitur sufficienter ex d. cap. 2, nam æquiparatur parenti, et sicut dicitur posse revocare pupillum, si non consenserit, ita dicitur non posse revocare, si consenserit, etiam tacite per annum integrum dissimulando; ergo supponitur posse tutorem offerre voluntate sua pupillum. Ratio autem est clara, quia uterque actus ex eadem potestate procedit, et quia tutor succedit parenti, quoad omnia quæ pertinent ad gubernationem filii; et ideo non oportet hunc casum esse in jure expressum, sed satis est quod exceptus non sit. Et hanc opinionem tenet etiam Palud., in 4, d. 38, q. 4, num. 28, ubi tamen differentiam constituit inter parentes et tutores, quod, licet parentes possint offerre impuberem, non tamen tutores, quia non est ita res eorum, sicut parentum. Sed hoc, cum non sit jure fundatum, non videtur admittendum, quia illa conjectura aut congruentia parvi momenti est, quia, licet naturaliter aut physice non ita sit res eorum, moraliter ita pendet a voluntate eorum, et hoc est in hoc negotio præcipue spectandum.

14. *Dubium in hac materia.* — Hinc vero oriuntur alia dubia, si contingat filium impuberem habere tutorem alium a parente, et parens ac tutor inter se dissentiant, vel unus sine alio filium offerre, quomodo id licite et

tem vovendi, eo ipso quod habet libertatem, et tamen adjuncto aliquo jure humano, id non potest facere, nisi juxta modum præscriptum ab humano jure. Mater etiam jure naturæ potest irritare votum filii, et tamen si sit confirmatum a tutore, vel si tutor repugnet, non potest, licet tutor habeat eam potestatem jure humano.

15. *Tutor etiam sine consensu matris vidua, imo et repugnante, potest offerre pupillum impuberem; non ita mater si non sit tutrix.* — Idem dicendum de avo, si est tutor. — Dico ergo in eo casu majorem potestatem, simpliciter loquendo, esse in tutore quam in matre vidua, quæ tutrix non sit, et ideo posse tutorem offerre pupillum invita matre, et e contrario matrem non posse invito tutore, quia quoad hoc habet tutor totam potestatem patris, sicut supra etiam dixi, tractando de irritatione votorum. Si autem mater offerat solum dissimulante et non contradicente tutore, erit quidem licita et valida oblatio, revocabilis tamen a tutore, quamdiu, vel ex presse, vel tacite dissimulando per annum, non consenserit. Atque idem judicium cum proportione ferendum censeo, quoties parentes privati fuerint juridice patriæ potestatis usu et cura, eaque fuerit in tutorem translata; nam potestas parentis in filium ita est jure naturæ concessa, ut possit per humanum coarctari, vel etiam impedi quoad gubernationem et dispositionem circa filium, et res ejus. Neque quoad hoc refert quod tutor sit persona extranea, sive conjuncta, ut avus, etc., quia hic non est attendenda conjunctio, sed potestas data tutori auctoritate reipublicæ. Et ex eodem principio censeo terminandam illam controversiam, si filius vivente patre existat sub potestate avi, cujus voluntas in hoc negotio plus valeat avi, an patris. Nam Innocentius patrem præfert, quem Sylvester et alii sequuntur; Panormitanus autem in contrariam sententiam inclinatur. Quod ego verius censeo, si avus ita habeat nepotem in sua potestate, ut tutor ejus sit legitime constitutus, vel si quacumque alia ratione jus patriæ potestatis in eum legitime translatum est. Si autem solum dicatur esse in potestate avi quoad actualem gubernationem et educationem ex licentia patris, tunc patris voluntas præferenda est, quia non est privatus jure suo.

16. Supererat respondere ad fundamentum hæreticorum; constat autem ex dictis, et manifestius ostendetur capite sequenti, falsum

esse quod dicunt de antiqua Ecclesiæ consuetudine. Illa vero decreta, quæ afferunt, quæ ad professionem pertinent, infra in proprio libro declarabuntur. Reliqua vero, quæ spectant ad observantiam perpetuæ castitatis, inferius latius explicanda sunt; interim vero adverto, cum Paulus dicit, 1 Tim. 5: *Volo juveniores nubere*, non simpliciter et absolute, vel (ut sic dicam) appetitive id potius velle, quam ut castitatem servarent, cum ipse alibi dixerit, 1 Corinth. 7: *Volo omnes esse sicut meipsum, et de virginibus consilium do*, etc.; loquitur ergo de voluntate conditionata, quam eodem loco explicuit, dicens: *Cum luxuriali fuerint in Christo, nubere volunt*, etc. Quod autem ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, non intelligitur de electione ad religionem aliquam, vel ad castitatem servandam; sic enim potius dixisset: *Non admittatur, vel non recipiatur*; intelligitur ergo de receptione earum viduarum, quæ sumptibus Ecclesiæ alebantur; vel ad ministerium earum quæ dicebantur Diaconissæ, ut in libro de Professione latius dicemus. Aliud fundamentum ex congruentia sumptum non tam attingit quid in hoc negotio liceat, quam quid expediat, et ideo ex sequenti capite et totius libri discursu, ejus responsio erit manifesta.

CAPUT III.

UTRUM EXPEDIAT PUEROS RELIGIONEM INGRESSE, VEL IN EAM ADMITTI.

1. In præcedenti capite solum explicuimus quid valeat et quid liceat circa ingressum puerorum; hic declarandum superest quid expediat. In qua re nulla est difficultas, neque esse potest inter Catholicos (de Hæreticis enim nihil novi dicendum superest), quoad pueros qui jam pervenerunt ad annos pubertatis; nam, cum Ecclesiæ declaraverint in ea etate posse validam et legitimam professionem facere, plane sentit eam ætatem esse aptam ad illum statum, atque adeo, per se loquendo, expedire ut, si voluerint, possint hi juvenes ad religionem admitti. Et quia ante professionem annus probationis necessarius est, hinc ad minimum constat etiam esse expediens, ut etiam ante puberem ætatem saltem per annum integrum ad religionis habitum admittatur. Quoniam vero Concilium Tridentinum quoad professionem faciendam amplavit ætatem impuberem usque ad decimum

seximum annum ætatis expletum, hodie solum colligi potest ex illo principio decimum quintum annum esse proprium terminum, in quo incipiunt pueri esse apti, ut eos in religione recipere expediat. Difficultas vero est de toto tempore superioris ætatis.

2. *Prima opinio tenet esse valde expediens, ut pueri ante annos pubertatis ex voluntate parentum in religione recipiantur.* — Et quidem D. Thom. 2. 2, q. 189, a. 5, loquens absolute de pueris ante annos pubertatis, nullamque distinctionem in tota illa ætate faciens, dicit esse valde expediens ut ex voluntate parentum in religione recipiantur; quod probat primo ex illis verbis Threnor., 5: *Bonum est viro portare jugum ab adolescentia sua*; et addere possumus verba Christi, Matth. 19: *Sinite parvulos venire ad me*, quæ ad hoc propositum adduxit Basilius, Reg. 15 ex fusionibus, addens, quod de Timotheo dixit Paulus, 2 ad Timoth. 3, quod ab infantia sacras litteras didicisset, et quod ad Ephesios 6 ait, filios educandos esse in disciplina, et correctione Domini, supponens hoc optime in religione fieri.

3. Secundo affert exemplum Joannis Baptistæ, qui ab infantia in eremum secessit, ubi admirabilem vitæ rationem instituit, ut ex Luc. 1 colligitur, et ex Patribus et historiis id confirmavimus et declaravimus, in 2 tom., disp. 24, sect. 3. Quibus nunc addendum occurrit, quia ad rem præsentem confirmandam confert, quod de Essenis Josephus refert, lib. 2 de Bell. Judaic., cap. 7, et Porphyrius, apud Euseb., lib. 7 de Præparat. Evang., cap. 4, et Cyrillum Alex., lib. 5 contra Julianum, scilicet, solitos fuisse, alienos liberos adhuc teneros, et ad omnem doctrinam aptos, secum educare, ac moribus suis stabilire sub cura unius magistri, qui in timore et disciplina eos contineret. Nec desunt qui putent Joannem Baptistam in pueritia in eremum ductum fuisse, quod tamen mihi verosimile non est, cum ante usum rationis in eremum ductus fuerit, et usque ad tempus Baptismi inde non recesserit; valet autem, ut dixi, illud Essenorum exemplum ad confirmandam dictam D. Thomæ sententiam.

4. Tertio affert D. Thomas exemplum S. Benedicti, cui Romani nobiles suos filios omnipotenti Deo nutriendos dabant, ut refert Gregorius, lib. 2 Dialog., cap. 3, qui etiam cap. 24 mirabile refert exemplum de quodam puero monacho. Unde idem S. Benedictus, cap. 59 suæ Regulæ, præscribit modum, quo